

Wir schliessen unsere Erörterung mit dem Wunsche von C. Wilkes (a. a. O., p. 84): « Hoffentlich lassen die geringen Ueberreste (nach der Verwüstung von 1945) der einstigen Dionysiuskapelle und der sogenannten Zelle noch eine Rekonstruktion dieses Bauteiles zu ».

H. ENGELSKIRCHEN.

Xanten.

Joannes Praemonstratensis.

Anno 1924, diebus 19-25 Novembris, Romae habita est Hebdomada Thomistica. Acta hujus Hebdomadae publicata fuerunt Romae eodem anno 1924.

Inter alia praeclare exposita in Actis istis, eminebant ea quae illa occasione prolata fuerunt a Reverendissimo Prof. Mart. Grabmann. Fuse locutus erat praeclarus Professor de distinctione inter essentiam et existentiam, non quidem methodo speculativa, sed potius ratione historica, inquirendo nempe quid de hac celebri thesi metaphysica in Medio Aevo dictum fuerit. Plurima documenta tunc pro prima vice indicabat et publicabat.

Notum est S. Thomam Aquinatem mortuum esse anno 1274. Porro, inter textus antiquos a Reverendissimo Grabmann occasione dicta allatos, potissimum attentionem movebat documentum ab ipso detectum in Bibliotheca Vindobonensi (Bibl. Nat. Vind., Cod. lat. 2165). In folio 142 v^o hujus manuscripti legitur disputatio et determinatio, quae ad mentem Grabmann locum habuit Parisiis anno 1279, seu quinque annis post mortem Divi Thomae; in qua disputatione varia argumenta indicantur in favorem distinctionis realis inter essentiam et existentiam.

Quod vero pro nobis, Praemonstratensibus, momentum historicum speciale habebat, continetur in ultimis lineis hujus documenti. Hac ratione lineae istae a Domino Grabmann publicabantur in Actis Hebdomadae Thomisticae, pag. 144:

« *Nota quod pro predicto articulo determinaverunt Parisiis anno Domini 1279 magister Johannes Premonstratensis et frater Stephanus in suo duplici quolibet, scilicet quod esse non fluit ab essentia in aliquo genere suo* ».

Textus iste rursus editus est a Reverendissimo Dom. Glorieux, Rectore Facultatum Insularum (Lille), in: *Recherches de Théologie*

ancienne et médiévale, XVIII, 1951, 156 s. ; et iterum, novo examine accurato manuscripti instituto a Dom. Müller, in eodem periodico, XIX, 1952, 344 s.

* * *

De explicanda natura textus hujus non statim apud omnes eadem viguit opinio. Reverendissimus Grabmann ita rem proposuit, quasi anni 1279, in Universitate Parisiensi Joannes Praemonstratensis et frater Stephanus ipsi anno 1279 disputaverint in « quolibet » de distinctione inter essentiam et existentiam ; ipsi quoque, tractatione absoluta, « determinationem » quaestionis proposuerunt.

Notum est profecto « determinationem » in scholis Medii Aevi esse veluti coronidem totius quaestionis expositae ; omnibus pro et contra punctum doctrinale propositis, Magister conclusiones deducebat. Patet autem « determinationem » non semper statim sequi tractationem academicam disputatam ; insuper « determinatio » non semper ab eodem perficiebatur ac ab eo qui disputationem academicam instituerat. « Determinationem » proponere spectabat ad Magistrum et Rectorem scholae in qua pertractatio instituebatur.

His prae oculis habitis, natura fragmenti de quo in praesenti sermo est, magis profunde examinata est. Tum Reverendissimus Glorieux, tum D. Müller, l. c., probarunt fragmentum illud non exhibere naturam alicujus disputationis scholasticae, cujus « determinatio » in fine summarie additur. Potius concipi debet, ita illi, uti justificatio doctrinae alia occasione ex professo defensae, quae ab aliis impugnata fuerat. « Le texte en question forme un article des *excusations* ou « Mémoire justificatif » que Jean Quidort rédigea à la suite de sa lecture des *Sentences* pour se disculper » (l. c., pag. 343).

Si haec explicatio admittitur — et revera probata videtur — textus inventus et prima vice publicatus a Grabmann, non venit a Joanne Praemonstratensi. Quod vero in fine textus dicitur, huc redit: In justificatione suae sententiae, auctor hujus textus addit Joannem Praemonstratensem et fratrem Stephanum in suo duplici quolibet hac ratione determinasse.

Constat ergo ex hoc textu Joannem quemdam Praemonstratensem actum « determinationis » seu rectoris disputationis de quolibet, Parisiis assumpsisse ; cujus determinationis memoria servata est apud Magistros eximios illius aetatis. Positio enim a Joanne Praemonstratensi tunc « determinata » affertur in probationem recti-

tudinis theseos ab auctore fragmenti defensae. Constat similiter Joannem illum Praemonstratensem illa aetate magnam auctoritatem nactum esse apud viros scientia eminentes et de profundis et maxime agitatibus quaestionibus philosophicis in Universitate Parisiensi publice tractasse.

* * *

Tres quaestiones poni possunt relate ad fragmentum illud:

1. Quisnam est auctor hujus fragmenti ?

Glorieux et Müller, variis argumentis sese invicem complentibus, probarunt Johannem Quidort, O. P., Professore Parisiensem, ejusdem textus esse auctorem. Johannes iste Quidort est ex spectatissimis viris scholae Thomisticae Parisiensis saeculi decimi tertii finientis ; mortuus est anno 1303.

2. Quandonam textus iste conscriptus est ?

In editione textus Reverendissimi Grabmann legitur Joannem Praemonstratensem sicuti et fratrem Stephanum « determinasse » positionem suam anno 1279. Prof. Glorieux annum hunc simpliciter admittit.

Verum haec nequaquam certa sunt. Dom Müller, novo examine ipsius originalis instituto, ad alias conclusiones devenit. In textu manuscripto, ita ipse, certo non legitur annus 1279. Additque Reverendissimum Grabmann in litteris ad ipsum missis, die 14 Decembris 1947, clare dixisse non posse agi de anno 1279, sed de anno 1299. Qui annus tamen non admittitur a Dom Müller. Dicit, l. c., pag. 349: « On lit clairement anno Domini Millesimo suivi de quatre chiffres arabes, dont les deux premiers sont 12 et le quatrième 5. La difficulté consiste à identifier le troisième. Celui-ci est formé comme l'abréviation de la syllabe « con » dans cette deuxième partie du texte. Comme ce signe a souvent, au XIII^e siècle, la forme du chiffre arabe 9, il faut conclure que ce scribe a voulu écrire 9. Il faut donc lire 1295 ».

Ita haec conclusio constare videtur: Magister Parisiensis Joannes Quidort scribit, anno 1295 Joannem Praemonstratensem et fratrem Stephanum determinasse, esse non fluere ab essentia in aliquo genere causae.

3. Quis est ille Joannes Praemonstratensis ?

Agi de canonico Praemonstratensi, tunc in Universitate Parisiensi, maxima auctoritate gaudente, quippe qui « determinare » valet in illa Universitate, dubio non vacat.

Quisnam est ergo ? In fontibus historiae antiquae Ordinis hucusque notis, numquam sermo est de quodam tali « Joanne Praemonstratensi ». Philippus de Harvengt quidem plures Epistolas theologicas misit ad « Joannem » quemdam, quem « cognatum et fratrem » vocat. Verum in praesenti fragmento, de illo « Joanne » agi nequit ; scimus enim Philippum de Harvengt obiisse anno 1183 ; dum in praesenti manuscripto saeculum decimum tertium jam ad finem vergit.

Reverendissimus Glorieux, l. c., pag. 155 s. scribit agi de Joanne de Weerde, « rattaché au couvent des Dunes, grand prédicateur devant l'Eternel, et maître régent à Paris dès 1275 ». Verum talia admitti nequeunt. Joannes iste de Weerde enim pertinet ad Ordinem Cisterciensium (Confer *Collectanea Ordinis Cisterciensium Reformatorem*, XIII, 1951, 298 s.).

Dom J. P. Müller, l. c., p. 350, ita scribit : « Si les savants éditeurs du Cartulaire de l'Université de Paris disent, à propos d'une lettre de Boniface VIII (1295) qu'on ne voit guère alors à Paris des maîtres de l'Ordre de Prémontré (« Sed vix apparent tunc temporis Parisiis licentiati ex Ord. Praem., Chart. Univ. Paris, II, ad n. 561, p. 66), cela ne signifie pas qu'il n'en existait pas... Voici par exemple trois abbés de Vicoigne, trois Jean, qui furent des universitaires : Jean de Maubeuge, abbé de 1279 à 1290, qui, semble-t-il, a été élu abbé au début de sa lecture des Sentences ; il n'aurait donc pas été maître ; Jean de Tongres, abbé de 1301 à 1303, date à laquelle il résigna sa dignité pour entrer dans l'Ordre des Frères Mineurs. On signale parmi ses œuvres un Commentaire sur les Sentences, des Quodlibets et des Questions ordinaires. Jean de Priches, abbé de Vicoigne de 1307 à 1311 ou 1312. Parmi ses œuvres on signale un Alphabetum vitae religiosae. Un des deux derniers Jean aura pu être le maître que Jean Quidort cite. Ceci n'est évidemment qu'une simple hypothèse, rien de plus ».

Hucusque proinde « Joannes ille Praemonstratensis » identificari nequit ; constat vero saeculo decimo tertio finiente, Praemonstratensem quendam, Joannem, talem auctoritatem scientificam nactum esse in Universitate Parisiensi ut a magnis Doctoribus illius aetatis ejus mens de quaestionibus valde disputatis evocata fuerit.

J. B. VALVEKENS, o. Praem.